



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XVI. De sancto Sebastiano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

CAP. XVI.

De Sancto Sebastiano.

Sanctus Sebastianus patre Narbonensi, matre Mediolanensi natus Mediolani, primæ Prætorianorum cohortis ductor, & generosus sub Diocletiano martyr, cuius iussu à militibus instar ericij sagittis configitur, postquam à Caio Pontifice Maximo defensor Ecclesiæ (erat id à temporibus Apostolorum institutum officium præcipuè ad pauperum & Ecclesiarum defensionem, mittique solebant hi defensores à Rom. Pontifice in diuersas provincias tum ad curanda patrimonia Romanæ Ecclesiæ, tum ad alia administranda negotia) esset constitutus: non ignobilis contra pestem Tutelaris habetur. factò id ipsum comprobauit non ignobili, quod ita ex Paulo Diacono, Carolo Sigonio, alijsque scriptoribus fideliter refero.

Ambrosius
Psalm. 118.
ser. 2.

Vide Greg.
c. 4. ep. 25.

Paul. Diac.
l. 6. hist.
Longob.
c. 5.

Temporibus Sextæ Synodi vniuersalis quæ Constantinopoli ab Agathone celebrata est, post lunæ & solis eclipsim exorta est grauissima pestis Romæ ac per alias Italiae ciuitates, mensibus Iulio, Augusto, & Septembri, tantaque fuit multitudo morientium vt etiam parentes cum filijs atque fratres cum sororibus bini per feretra positi apud urbem Romam ad sepulcra ducerentur: pari etiam modo hæc pestilentia Cicinum depopulata est, ita vt cunctis civibus per iuga montium aut per deserta loca fugientibus in foro & plateis ciuitatis herbæ & frutices enascerentur, tuncque visibiliter multis apparuit bonum & malum angelum noctu per ciuitatem perrexisse, & quoties ex iussu boni angeli malus venabulo quod in manu ferre videbatur, ostium alicuius domus percuteret, tot de eadem domo

anno 580.

O

nocte

nocte sequenti tamquam ab angelo Ægyptiorum exterminatore percussi, homines interibant. Eodem tempore per reuelationem cuidam dictum est, pestem non prius cessaturam quam in basilica S. Petri ad Vincula, erigetur altare in honorem S. Sebastiani martyris Deo dedicatum. quo facto, vt dictum erat, pestis illa mox cessavit; vnde etiam provenisse videtur, inquit Baron. vt posteri fideles eundem Sanctum ad evitandum imminentem pestis cladem consueverint habere patronum; quin & ex hoc propagata Religio est vt pestis tempore voti causâ imago eiusdem Sancti diversis in locis pingi soleat atque in eius memoriam altaria erigi & Ecclesiæ fabricari consueverint. Extat autem hæctenus integrum ipsum altare Romæ in titulo Eudoxiæ ad Vincula Petri, nec non eiusdem martyris veneranda imago, opere musivo expressa, senili aspectu & barba; egregium sanè monumentum, quod pictores admoneat qui eum iuvenem palo alligatum perperam depingunt. Sed vt Horatius,

In Marty.
rol 20 la-
nuar. & in
annal. an-
no 580.

— Pictoribus atque Poëtis

Quidlibet addendi semper fuit æqua potestas.

Scimus, & hac veniam petimusque damusque vicissim.

Ita ille ibi quidem; verum quid in accurato pictore desideret alibi sic monet:

Ætatis cuiusque notandi sunt tibi mores,

Mobilibusq; decoraturis dandus & annis.

Intererit multum Davusne loquatur, Erósne

Maturusne senex, an adhuc florente iuventutè

Fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix.

Si enim pictura (vt S. Gregorius aiebat) indoctorum est liber; ecquid è falsa haurietur lucis. Sed plura de picturis sacris de quæ ijs secundum quæ pictores se dirigere debent, vide apud Ioan. Molanum opusculo de picturis & imaginibus sacris.

Anno

Anno autem 826. facta est translatio reliquiarum S. Sebastiani Roma Sueffionem urbem Gallia; quod de parte tantummodò corporis eiusdem Sancti intelligendum esse significat Ado Viennensis, vbi magna quoque & multa miracula eius intercessione facta esse omnes testantur. Festum diem habet in Ecclesia gloriosus martyr 20. Ian.

CAPVT XVII.

De Sancto Christophoro.

DIxi superius & exemplis probavi quibusdam Sanctorum particularem gratiam curationum à Deo concessam esse, quòd illam in morte sibi dari deprecari fuissent. Dicta novo exemplo validius confirmabo. Christophorus Cananæ regione oriundus, qui ante conversionem suam ad Christum, Adocinum, id est, reprobum, se vocatum fuisse, Decio imperatori respondit: at postea sicuti nomine ita & re, verus Christophorus siue Christiferus, postquam crudelissima diversorum tormentorum genera constantissimè pertulisset, suaque constantia quadraginta octo millia ad Christum convertisset, antequam capitis abscissione martyrium suum cõsummaret, intenta supplicatione priùs Dominum rogavit, vt locus ille vbi humatum iaceret corpus eius ab omni tempestate ignis & grandinis, famis denique & pestis, perpetuis tēporibus immunis permaneret: qua in petitione exauditum eum fuisse pro sua reuerētia nemo est Catholicorum qui dubitat, ideoque exinde cultus & reuerentia erga hunc Sanctum pro auersione pestiferæ contagionis apud fideles increbuit. Hinc etiam originem suam traxisse putanda est, antiqua illa maiorum nostrorum consuetudo